

asperrimus sicut dicitur: „Non habebit Deus innocentem eum, qui vane usurpauerit nomen eius“<sup>237</sup> item: „Qui gladium acceperit, gladio peribit.“<sup>238</sup> Reliquos vero, qui aut gemunt propter idola aut sal-[82:]tem non alieni sunt a pia concordia, monebimus, ne ab illis turbatoribus ecclesiae sese inflammari patiantur neque ipsorum crudelitati sese praebeant administros, sed negocium ipsum vna nobiscum hac propemodum ratione examinent.

Primum cum omnino tres reperiantur viae, quibus finiuntur etiam acerrimi conflictus et longissima bella: transitione vel deditio, oppressione alterius partis et transactione cogitemus, quae ex illis sit rectior et melior. Exposita est causa, quae in controuersiam vocatur clare et sine ambiguitate. Cum igitur euidens sit, vtra pars consensum vocis diuinae et sincerae antiquitatis tueatur, et profecto altera vix aliquid, quod speciem veri habet, afferat, sed tantum reliquias pontificij dogmatis proponat, cur non cedimus perspicuae veritati? Cur anteferimus opinionum veterum quasi firmos vel aliquos singularium cupiditatum motus voci coelesti? Nonne cogitamus contumaciam prohibitam a Deo esse, nolle cedere meliora monentibus, sed pertinaciter in defendenda et ornanda sua opinione falsa laborare? Cessit Petrus monenti Paulo de abroganda legis Mosaicae obseruatione.<sup>239</sup> Vniuersa synodus Nycrena cessit Paphnutio suadenti, ne ferretur lex de coelibatu sacerdotum.<sup>240</sup>

Etsi igitur ecclesiae nostrae constitutae sunt a doctoribus et excellentibus pietate et donis, si tamen aliqua doctrinae pars ab aliis paulo rectius illustrata et repurgata est, cur non imitamur regulam? „Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior“<sup>241</sup> item: „Variae sunt donorum species, sed unus Spiritus.“<sup>242</sup> Haec igitur sicut expeditissima, ita profecto optima erat via coniungendi ecclesias praecipuorum regnorum in Europa et constituendi dulcem et salutarem concordiam, si maiori et meliori coetui cederemus. Sed adeo grauia et multa hanc spem interuertunt impedimenta, vt optare quidem nobis talem statum liceat, sed eo peruenturi haud vnuquam simus. A Deo igitur gubernationem consiliorum nostrorum petamus, qui faciat, vt tandem omnium ec-[83:]clesiarum consentiens sit vox et inuocatio. Nos autem secundum viam concordiae examinemus. Finiuntur interdum bella victoria per oppressionem et extinctionem partis contrariae. Et haec ratio plaeisque ex nostris, quibus et propria laus et Victoria vere vt ille dixit melle gratior est valde probatur. Ideo varia vbique cuduntur consilia, quomodo internecione partis alterius, tandem nostrum regnum possit conquiescere et amplificari, sed sicut Victoria haec aduersus hostes externos laudabilis et optanda est, ita in bellis ciuilibus nemo

<sup>237</sup> Ex 20,7; Dtn 5,11.

<sup>238</sup> Mt 26,52.

<sup>239</sup> Vgl. Gal 2,11–21; Act 15,1f.

<sup>240</sup> Paphnutius, der Bekenner, soll auf dem Konzil von Nizäa verheiratete Kleriker verteidigt und so das Wohlwollen Kaiser Konstantins erlangt haben. Zu seiner Person vgl. James E. Goehring, Art. Paphnutius, in: RGG<sup>4</sup> 6 (2003), 861.

<sup>241</sup> I Kor 14,30.

<sup>242</sup> I Kor 12,4.